

TH. J. AB ALMELOVEEN  
LECTORI  
BENEVOLO

S. D.

**M**ultos non modo proximi, verum etiam  
hujus seculi eruditione atque fama prae-  
stantissimos viros operam in enendan-  
dis atque illustrandis A. C. CELSI de  
Medicina libris, non vulgarem po-  
suisse, qui ignorat, nae scriptorem illum ignoret  
neesse est. Quis enim est, qui vel primis la-  
bris Medicinam gustasse prae se ferat, quem Cae-  
sarii, Pantini, Constantini, nomen fugiat? quis  
Jeremiam Threverium, quis Balduinum Ronseum  
de fama non noverit? quis de Jodoco Lommio, Petro  
Pavio nil audivisse se ausit profiteri? quis denique,  
quid Joannes Antonid. van der Linden praestiterit,  
non observavit? quorum Virorum exemplis, quibus  
duci solemus, incitatus incredibile quanto legendi,  
relegendique flagraverim desiderio? quod repetita  
aliquoties lectione non leviter accrevit, adeo ut notare  
quaedam ab aliis praetermissa, Et hunc Auctorem  
cum aliis conferre scriptoribus subinde coeperim,  
quod cum vidissent Celsi nostri cultores diligentissi-  
mi, operae pretium me facturum existimarunt, si  
cum orbe literato hunc nostrum communicarem la-  
borem, promissisque abhinc fere anno datis satisfac-  
cerem. Quod cum altius in animum descendisset  
meum, protinus istis expoliendis memet applicui.  
Veruntamen quum variarum lectionum numerum in  
majorem molem excurrere viderem, editionem ve-

P R A E F A T I O.

vo formae commodioris, & si ita loqui liceat, portatilis desiderari, consilium mutavi, satis habens loca duntaxat sive nostri auctoris, sive alterius medici, parallela indicare, scriptoris nostri sententiam quae aut illustrarent aut confirmarent. Editioni autem huic rerum atque verborum indicem, quem in omnibus aliis desiderari sciebam editionibus, adjecimus, de industria, ne nimiam in molem assurgeret nunquam è manibus deponendum hoc Medicinae ἐγχειρίδιον, aliquanto contractiorem; quod prae manibus nobis sit, ejusmodi lexicon, quale una cum notis eruditissimis in Celsum a viro fama super aethera noto, Joanne Rhodio confectum, incendio tristissimo absumptum summopere dolemus, alii editioni subnectendum. Subjuximus, quae loca difficiliora explicant R. Constantini annotationes selectas ex exemplari, alias rarissimo, è Cl. Graevii Bibliotheca deprompto. Scholia eruditorum facile principis Isaaci Casauboni, margini codicis, quo fuerat usus, festinantissime illita, quae ex τοῦ πρώτου Isaaci Vossii Gazophylacio secum attulit Gothofredus Thomasius, ὁ χαρίεσσατος, pro amicitia atque necessitudine, quae inter nos intercedit non vulgaris, quam benignissime mecum communicavit; quae licet breviora, numero pauciora, minimeque publicae luci ab Auctore adaptata, ob religionem tamen, qua summa eum colo, suppressere non potui aut minus grata fore putavi. Quid vero ipsi praestiterimus, lectione ipsa consequetur H. Lector, quem duo monitum volumus, numerum margini impressum loci paralleli paginam versusque indicare, alterum in notulis, ubi citati libri saepe numero auctoris reticetur nomen, Hippocratis debere intelligi.

I N-